8.46.D.3

[illegible]

nel Catalogo generale della Biblioteca [illegible] [illegible] [illegible] Bernardo Antonio [illegible]

CENTRALE V.E. II

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
46 D
M 3
ROMA

Digitized by Google

8.46.II.3

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

NABVCHI STATVA

Iuxtà Danielis Prophetæ interpretationem

SACRÆ THEOLOGIÆ COMPARATA

Allegoricè concepta, Textualitèr expoſita, Dogmaticè diſtributa, & Scholaſticè controuerſa.

QVAM

SVB IMMORTALI DIADEMATE


SERENISSIMI PRINCIPIS

Venetæ Reipublicæ

NICOLAI SAGREDO

Romæ in Auguſtiſſimo Sanctæ Mariæ de Aracœli Templo, apud Capitolium tempore Comitiorum Generalium Totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, inter cætera inſignioribus Chriſtiani Orbis in obſequium dicata Coronis, oppoſitorum argumentoſis lapidibus, Frater Antonius Maria de Blanchis Venetus, eiuſdem Ord. in celeber. Patau. Vniuerſ. Publ. Metaph. Profeſſor, Ciſm. Fam. Exuicar. Generalis, & in Alma D. Antonij Obſ. Prouin. Miniſt. Prouincialis, exhibet inconcuſſam. Eoſdem retundente Fratre Hieronymo Ripa de Verona, ipſius Ord. & Prou. in Patau. Iubil. Studio Sacræ Theol. generali Lectore. Ann. 1676. Menſe Maij. Die

Pertinet ad Conventum S. Bonav. de Urbe



VENETIIS. M.DC.LXXVI.

Ex Typographia Andreæ Poleti.

SVPERIORVM LICENTIA.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS.

THEOLOGIAM noſtram, imò tuam; hoc eſt Virorum Maximo Diſciplinarum ampliſsimam tibi ſiſtimus Sereniſsime Princeps, qui & Gradus, & animi celſitudine adeò ſupra terras exurgis, vt par ſit, Facultatem iſtam Cœlorum intima peruadentem, & fœderatæ diuinitatis contubernio dignatam, ſinu foueas, ac tuearis. Clariſsimæ Familiæ Germen, quidquid (& hoc nil vulgare) ex Auorum glorioſo ſtipite in ſingulos ramos mira proceritate adoleuit, totum in Te vno ad maturitatem maximo incremento protendis, & factura Nepotibus vmbra, Sereniſsimo vertice contermina immortalitati Te inſeris. Te Mecenatem ſuum dixerint, & experti ſint Muſarum cultores, Nos vt ex Mecenate in Auguſtum Sereniſsimæ Reipublicæ Venetæ iuſſus es, vt è Stella (primæ quidem magnitudinis) Solem agis, Rhodios imitati, Statuam dicamus. At non tantùm ex ære Coloßum conflamus cum Rhodijs, Aurum, Ar-

Digitized by Google

ſiſſet honoribus. Extulit, vt efferres, tum certè impera-tura latius, cum tuo obtemperaret imperio. Procurator D. Marci meritorum copia, non erarij fanore renunciatus Dignitatem illam, cui cætera impares, (hac vna excepta quæ Te Regibus parem facit, Tequa aſſumpto regalior effe-cta eſt) ita conſilium ſuſtinuit tuum, ita honeſtauit au-ctoritas, vt rectius nec ab Aſtrea geri, nec à Themide poſſet. Tum denique conſumpſiſti Patriæ totius admiratio-nem, cum plura mereri Sagredus, quam conferre Venetiæ ſcirent. Reſpublica innumerabilium triumphatrix copia-rum, quæ ſtrauit Pelagum Claſsibus, & Maria Turci-cis infeſta nauigijs cruentauit Barbarorum cæde, hæſit in ſolius Nicolai magnitudine, ab hoc vno tam beneficijs victa, quam propugnata virtutibus. Dulce eſt meminiſſe, cum ſuis propè ſedibus conuulſæ Vrbes confluerent firmaturæ obſe-quia, ingratulationem effuſæ. Dij boni! quo ſtudio, ac vo-luntate cum ad Principem recens deſignatum non homines modo, ſed regiones ipſæ conueniſſent etiam latius excitatæ, quam ipſius Imperij iura, ac termini poſtularent! Huc fi-nitimarum Gentium Oratores, huc Germana Natio Pa-tauinis Muſis conſecrata, huc denique Patauinum Ly-cæum conuolauit, & in officium, amoremque communem tot inibi gentium genera, diſſona linguis, cultu, & ſydere abhorrentia conſpirarunt. Meminere ſcilicet cum Ipſe Ar-chigymnaſij clauo admotus, litteras toto fugentes Orbe re-ciperes, & ſuis extorres Pœnatibus Muſas opibus, & au-ctoritate reuocares. Dicam de Te, quod Claudianus de Scipione, qui ad Punicam expeditionem profectus Ennio Vate comite vtebatur, vt ſtrepentium Claſsicorum frago-rem poeticum melos deliniret.

Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Qua de cauſa Principi Tibi creato impenſius allaborauit Patauina Vniuerſitas, totuſque laudibus tuis Pindus cer-

tauit,

tauit, vt coronaret Lauro, quem inſignia Principis redimirent, & in Adriam vſque totum verſaret Helicona. Tibi igitur & Nos Sereniſsime Princeps gratulabundam Theologiam ſiſtimus, tam cæteris eminere dignam, quam Tecum, qui cunctis emines, degere. Mirabere hic adumbratam Regis Nabuchi Simulacro ſcientiam, quod tamen Nicolaum exprimeret verius, ſi totum ex auro; At æquum erat donare Me Tibi ſignum multiplici metallo conflatum, vt Me totum in ære tuo eſſe, intelligeres. Vale diù ad Reipublicæ Venetæ, & litterariæ præſidium, & decus.

Serenitatis Tuæ

Hum.^mus. Addict.^mus. Obſeq.^mus. Seruus
Fr. Antonius Maria de Blanchis Ven.
Ord. Min. Obſ.

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

VETERIS editio Teſtamenti adeò recondita continet Sacramenta, vt omnia Immenſus rerum Opifex in illo delineaſſe videatur. Obſcuram dicerem gemmarum fodinam, vt non niſi illo quod eſt Lumen de Lumine gemmæ extrahendæ conſpectæ fuerint. Pelagum ſuo in corde infinitos recludentem vniones Saluator agnouit; Vndè vt illorum piſcatum inciperet, Socios, & Diſcipulos voluit adhibere Piſcatores. Theſauros dominica ſub Petra recondebat, ſed demum, miſericordia fauente, reſciſſa, ſibi pro egeſtate vnuſquiſque applicat, & prouidet. Erat Nubes, ſed à Iuſtitiæ Sole nunc illuminata, Chriſtianos Iſraelitas, ad quod aſpirant, perducit. Moſaycam dicerem Virgam, mirifica adeò gaudentem virtute, vt in quoduis pro omnibus vertatur. Suis vmbris omnia dilucidat, ſuo graphide omnia pinguntur, ſub eius velamine omnia apparent. Quid igitur mirum, ſi inuiſibilis in Nabuchdonoſor Statua conſpiciatur Theologia? Genita in ſomnio, non eſt Phantaſma; exit ex nocte, vt ſibi Fidei tenebras oſtendat eſſe aſſociatas; inciſa metallis; æternam ſe exhibet; terreis tamen Plantis incumbit, vt quæ ex Cœlo eſt, firmiter noſtro non poſſe adhærere ſolo, videamus; Reſciſſa à petra, ideſt à perfidia, & duritie Hæreticorum; percuſſa infictilibus pedibus, quia tantùm in terra frangitur; ſo-

lo

Digitized by Google

lo à Daniele viſa, quia reuelata. Intueàmini Simulacrum, perſpicite; Textualia enim vobis exhibeo verba. *Et ecce quaſi Statua vna grandis, & Statua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra Te, & intuitus eius terribilis: Huius Statuæ Caput ex auro optimo erat; Pectus autem, & Brachia de argento; porrò Venter, & Femora ex ære; Tibiæ autem ferreæ; Pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. Danielis Cap.2.*

O quam eruditè Theologiam deſignat, quam elegantèr exprimit! Nonnè enim iſta in tractatus diuiditur, ſicut illa in metalla? Nonnè Deus Trinus in illius Capite collocatur, vt aſſerit Sponſa, Caput eius aurum optimum? Aureo Capiti, & Supremæ dignitati Pectus, & Brachia ſuccedunt argentea, vt oſtendatur, Angelos ſubſtantias Spirituales, ſicut Auro Argentum, Deo eſſe propinquiores; illoſque Spiritus, vt Michael, diuini pectoris, & brachij eſſe fortitudinem. Venter, & Femora ſuo ære reſonant Incarnationem; vt enim varijs ex metallis æs vnum conficitur, ità diuerſæ ibi in vnum rediguntur naturæ. Sacramenta in Tibijs ferreis reponimus; Ferro enim, & noſtram tuemur vitam, hoſteſque inſanabili vulnere profligamus; iſtis Carnem, Demonem, Mundum arcemus, plagiſque percutimus. At illa Pedum parte fictili quid deterius? quid ſordidius? idcircò quam benè hominem in peccati ſtatu conſtitutum reponimus; tunc enim relicta Dei ſimilitudine in lutum deſinit, ſordeſque accumulat. Hæc eſt ſomniata Statua, hæc vera Theologia. Hoc vno tamen ſuo diſcrepabit à Symbolo, quod Regis Aſſyrij Statua lapillo icta corruit penitus, & in fragmenta diſſilijt; Theologia verò quolibet imperita ictu, ſe ſe contra argumentorum impulſus ſuſtinet inconcuſſam.

Digitized by Google



Digitized by Google

AVREI CAPITIS

Trinitatem Sanctiſsimam innuentis

TEXTVALIS EXPOSITIO.

Huius Statuæ Caput ex auro optimo erat.

VIDISTIS in argumento Nabuchdonoſor ſimulacrum, æternum ſupernæ Theologiæ Coloſſum, quod iam ſuperbiæ monumentum à Petra, ſcilicet Chriſto, in puluerem redactum, melioribus ſub auſpicijs, diuina recludens arcana, amplius non ruiturum in MINORVM cineres rediuiua Phœnix conſurgit. Materiarum diſpoſitionem in Statuæ partibus appoſitè locatam, ſpiritualia in corpore ſita, & nec in quantitatem, nec in partes diuiſa, in membra partita obſtupuiſtis. Obſcurum (quia partus nocturnus) ſomnium ſui ſemper vigilis Leonis oculo Daniel factis excubijs vidit, ac talem aſſignauit interpretationem. Tu Rex Regum es, & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri, & volucres Cœli dedit in manu tua, & ſub dictione tua vniuerſa conſtituit; Tu ergo Rex es Caput aureum. Non nè aptius explanationem Deo cum vnitate Eſſentiæ Trino conuenire veridico fatebimini ore? cui honor, virtus, fortitudo, gloria, & imperium (gentium teſtante Doctore) ſatellites aſſiſtunt; hominesque, volucres, beſtiæ, vniuerſaque (Canente Regio Citharedo) perenne tributum laudum ſoluunt? Rex Regum, & Dominus Dominantium eſt Caput aureum, tali in Sacris Epitalamijs commendatus nomine à Sponſa, Caput eius aurum optimum; Ideò non immeritò crediderim, quod non ob aliud vultum eius depræcabuntur omnes diuites plebis, niſi quia aureum eſſe audiuerunt. In aurato Capite Principem Regum terræ delineamus, quia non niſi in metallorum Principe ſculpi Principis imago dignè permittitur; Regesque alijs ſpretis corporis membris, capitis tantum nomen ambiunt; illo imperant, illud aureo ſerto coronant. Auratam in pluuiam deſcendiſſe mendaciſſimum Iouem poetarum mendacia commenta ſint; Summum tamen, verumque Iouem Iſraelis Principi Moy-

B 2 ſi,

Digitized by Google

ſi dixiſſe, poſteriora mea videbis; poſterioraque dorſi eius in pallore auri proſpexiſſe, Sacri nobis teſtantur Codices. In auro Dei ſedes; illud enim ab aura, ſcilicet à ſplendore dictum, proprium Primæ eſt Perſonæ, quæ Pater luminum; Secundæ, quæ Lux mundi; Tertiæ, quæ Spiritus, idem ac aura, Illuminator, ac Clarificator nuncupantur. Quid plura? Supremus rerum Conditor, pauper hoc in mundo exortus, non habet vbi reclinet Caput ſuum, cum tantum deceat Caput illud compactum à Salomone Reclinatorium aureum. Reponere igitur debebamus in auro illum, in quo ſunt omnes theſauri. In Capite, ſummam Sapientiam; In auro, cum Ciuitas Dei ſit ex auro mundiſſimo, Templique Tabernaculum, & Propitiatorium, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, aurata eſſe, pagina Sacra commemoret; In Capite, Galeni enim iudicio Animæ in Capitis cerebro ſedes, & vna eademq; in tres diſtinctas potentias ſine diuiſione partitur, ità Eſſentiam Dei, quæ vna ſemper eſſentialiter in tribus eadem reperitur, in Capite collocare debebamus. In auro, cum in obſcuris auri fodinis ignis Lumine fodiatur, & Ineffabilis Trinitas, obſcuris ſub Sacramentis, Fidei Lumine innoteſcit. Quid igitur mirum, Si ſuper Thabor Chriſti in imaginem Dei transfigurati reſplenduerit facies ſicut Sol? vt enim oſtenderet auratam, aureis huius Planetæ radijs colorari non niſi debuerat. Caput igitur aureum Statuæ Triadi Sacroſanctæ dicamus; quidue de ipſa ſentimus Theologicis in Thæſibus in ſequenti accommodamus; deſiderabilia enim ſunt iudicia eius ſuper Aurum, & Topazium.

Digitized by Google

TRIADIS SACROSANCTÆ
MYSTERII
Dogmatica enarratio.

DEVM ſummum bonum, ſupremum omnium ſubſtantialium entium non dari, non niſi impia veſanæ mentis fallacia excogitari poteſt, vt teſtatur Pſalmiſta 13. Dixit (enim) inſipiens in corde ſuo non eſt Deus; Hinc ſceleſtiſſimi fuerunt illi, qui vt ſine Deo viuerent, Deum eſſe negauerunt, aſſerentes omnia nulla diſponentis prouidentiæ ordinatione, ſed fortuitò cauſalium concurſu compacta eſſe, & Deum, quia oculis non cernitur, non eſſe. Hi Atheiſtæ, Græcè, nuncupantur, quod ſine Deo Latinè ſonat, horumque Princeps fuit Diagoras Mileſius, quem ob Deum orbe abdicatum, Athænienſes, è Ciuitate expulerunt, Cicerone teſte lib. 1. de nat. Deor. Vnus ergo eſt Deus: Inquit enim Iſaiæ 45. Extra me non eſt Deus. Et Deut.32. Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me; quibus verbis Deorum pluralitatem excludit, quam Gentiles Idolis ſeruientes colebant, canente de his Proph. 113. Simulacra Gentium argentum & aurum. Nec tantum ſolem & Lunam adorantes Aegyptios teſtatur Diodorus, & deteſtatur Auguſtinus, Verum & mordet Iuuenalis, ob illis naſcentia in Hortis Numina. Et quis Gnoſticos, qui vocabulo à ſapientia quam iactabant conficto, videntes dicebantur, exoculatos non diceret, qui duos Deos, bonorum vnum, malorum alterum Authorem ponebant? Pudet hic impium Manichæum referre, qui iſtorum cæcitatem tetrioribus mentis tenebris ſuperans, Teſtamentum nouum à Deo bono (quem & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti dicit) Vetus verò à Deo malo datum eſſe nefariè commentus eſt. Abſit tamen à Dei Vnitate, Perſonarum Trinitatem excludere; Dogma namque fidei eſt, hoc Trinitatis myſterium in veteri reuelatum fuiſſe Teſtamento: Chriſtus ſiquidem de ſua Diuinitate Io.c.5. diſſerens, Iudæos remiſit ad ſcripturas, dicens illis, Scrutamini ſcripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me, innuens quod Deut. c.6. habetur. Audi Iſrael, Deus Deus noſter, Deus vnus eſt; Et Pſal. 67. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Ter ponitur Deus ad Perſonarum Trinitatem oſtendendam; Secundo verò loco dici-

Digitized by Google

dicitur, noſter, quia filius Dei per Incarnationem ſingulariter factus eſt noſter. Errant igitur Sabellius, & qui Noetiani à Noetio dicebantur, vnicam in Diuinis Perſonam diuerſis dictam nominibus, admittentes, quæ vt in ſe Deus, Pater dicitur; vt carnem aſſumpſit, Filius; Vt verò nos ſanctificat ſpiritus Sanctus. Hæc autem Hæreſis apud Ptolomaidam Aegypti fuit orta ſub Gallieno Imperatore, & Sixto Secundo; appellabanturque huiuſmodi Fautores Patripaſſiani, quia docebant Patrem eſſe paſſum ſicut Filius, diſtinguere neſcientes inter Eſſentiam & Perſonas, ſeu inter ſubſtantiam, & ſubſiſtentem, vt inquit Aeuſeb. Cæſar. lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 29. Quapropter D. Athan. in Symb. canit. Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, neque confundentes Perſonas, neque Subſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, quæ à Concil. Tolet. 11. in Confeſs. Fid. Fons & origo Diuinitatis vocatur, ſeu totius Diuinitatis Principium; innaſcibilis, & ingenita, vt Catholica Eccleſia apud Nicæam congregata, toti mundo credendum ſub Anathemate mandauit. Alia eſt Perſona Filij, æqualis Patri ſecundum Diuinitatem; Si enim Pater (inquit Auguſt. lib. 1. de Symb. c. 3.) habet aliquid quod non habet Filius, mentitur Filius, qui dicit, omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Propterea ſubdit Athan. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: Nullo enim modo (ait Auguſt. contra Maximin.) verum Filium Dei cogitatis, ſi hunc de ſubſtantia Patris eſſe negatis; ideoque Patri conſubſtantialem ſubſcribunt PP. 318. S. Syn. Nic. Imo vnum cum Patre (Chriſto dicente) Ego & Pater vnum ſumus. Damnetur ergo Arrius cum Luthero, qui Homoution tollebant. Semiarriani cum Macedonio Anathemate plectantur, dum Verbum aſſerunt, non Homoution, ſed Homaeution Patri, ideſt ſimilis non eiuſdem naturæ; Ignique tandem Sempiterno Aetius cum ſequacibus tradatur Heteruſion inducere tentans, Verbum ſcilicet alterius eſſe volens à Patris ſubſtantia. Alia ſimiliter eſt Perſona Spiritus S. à Patre Filioque procedens iuxta Symb. Nicæn. & D. Athan. vtque exprimit Chriſtus Io. 16. dicens, Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Quæ Verba de Proceſs. Spiritus S. à Patre & Filio exponunt plurimi SS. PP. & Eccl. DD. Quam veritatem confirmant Concil. Epheſ. Sub Cęleſt. Pap. I. Concil. Lateran. 4. Sub Innoc. III. Concil. Calced. Sub Leon. I. Concil. Lateran. 5. Sub Iul. II. & Leon. X. Concil. Florent. ſeſſ. vlt. in Decr. Eug. IV. & habetur Extra de Sum. Trin. & fid. Cathol. Cap. Firmiter.

Digitized by Google

EIVSDEM SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Scholaſtica controuerſa diſſertio.

PERSONARVM Diuinarum Trinitas, quæ colenda, & adoranda Chriſti fidelibus ſuper omnia tanquam aurum proponitur, per relationes originis conſtitui non eſſe ambigendum putamus; exprimuntur namq; perſonæ in ſacro Codice relatiuis nominibus, veluti Matthæi Cap. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Ioannis Cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Huiuſmodi autem relationes, perſonales proprietates appellantur, ſiquidem D. Baſil. Lib. 2. cont. Eunom. aduertit, Deitatem eſſe communem, Paternitatem, & Filiationem eſſe proprietates, & Sofron. in ſua Epiſt. actione 11. Sextæ Synodi vocat eaſdem, alteritates, ſeu alterificas proprietates, quæ inconfusè perſonas innuunt. Similiter Nicephorus in Concilio Epheſino Tom. 5. c. 22. eas proprietates diſtinctiuas Perſonarum dicit; quapropter ab his non diſſentiendo Concil. Lat. cap. Firmiter habet: Hæc Sacroſancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam vna, & ſecundum proprietates perſonales diſcreta. Quamuis autem quatuor dumtaxat extent relationes originis, tres tamen ſunt Perſonarum conſtitutiue, & omnes inter ſe realitèr diſtinctæ, cum nulla ex ijs infinitatem (quæ identitatis cauſa agnoſcitur) formaliter includat. Verum non ſic realiter diſtingui relationes originis ab Eſſentia Diuina dicimus, ſed ſolum formaliter, actualiter ex natura rei: Secluſa namque quacumque intellectus operatione Eſſentia eſt ad ſe, & Relatio eſt ad aliud: Si enim Eſſentia relatiuè dicitur inquit D. Auguſt. 7. de Trinit. c. 1. iam Eſſentia non eſt Eſſentia; propterea Idem cap. 5. aiebat, non eo Pater quo Deus, nec eo Deus quo Pater. Hinc liquet nullam aliam diſtinctionem, ſiuè rationis ratiocinatæ, ſiuè virtualis, ſiuè alterius cuiuſcumque, ad manifeſtandum Trinitatis myſterium, eſſe hac formali aptiorem, taliter à Sanctis Patribus, & Concilijs conceſſam quam pariter attributa retinent inter ſe, & reſpectu Eſſentiæ, cum diuerſas præſeferant formalitates, vt fatetur D. Auguſt. 15. de Trin. cap. 6. ſi dicam Aeternus,

im-

Digitized by Google

Immortalis, Iuſtus, Bonus, Beatus, Spiritus, horum omnium nouiſſimum, quod poſui videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera verò huius ſubſtantiæ qualitates;& Damaſcenus Lib. 1. cap. 4. ſi Iuſtum, ſi Bonum, ſi quid tale dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ circa naturam. Itaque non tranſeunt ſiue ſecundum eſſe, ſiue ſecundum quidditatem, Relatiuæ proprietates, in Eſſentiam Diuinam formaliter, ac propterea vltra exiſtentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam Diuinæ Eſſentiæ ſecundum quam in eſſe vltimatè completo, & perfectiſſimo, communicabili tamen conſtituitur, proprias retinent exiſtentias, ac ſubſiſtentias incommunicabiles, nec finitatem, nec infinitatem includentes, neque perfectionem, aut imperfectionem, aliàs nequiret ſaluari Diuinarum Perſonarum æqualitas; In quibus perſonis non plures ſunt admittendæ eiuſdem rationis productiones, alioquin infinitas concedere neceſſe eſſet, docente D.Auguſt. Lib. 1. cont. Maxim. Abſit vt ideò potentior ſit Pater Filio, vt puta quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem, neque enim non potuit, ſed non oportuit: Et addit quare non oportuit; quia immoderata eſſet diuina generatio, ſi genitus filius Nepotem gigneret Patri, quia niſi, & ipſe Nepos Auo ſuo Pronepotem gigneret ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam inpotens diceretur, ſimiliter, & ille &c. Imo ſubdit ille; Nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero gigneretur, nec etiam perficeret vllus eam, ſi non ſufficeret vnus Omnipotens. Cœterum duæ tantum aſſignantur alterius rationis productiones, quia duo tantum ſunt principia diuerſa productiua. Per primam, quæ generatio vocatur Verbum à Patre producitur per actum dicendi, nulla præcedente Creaturarum cognitione: per ſecundam verò, quæ ſpiratio dicitur, Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedit, tùm propter ordinem potentiarum in agendo, tùm propter vnitatem principij in ambobus per modum libertatis operantis. Ex quo colligendum, quod ſi per impoſſibile Spiritus Sanctus à ſolo Patre procederet eiuſdem planè, ac modo eſt, foret rationis, & proprietatis characteriſticæ atque à Filio realiter, perſonaliter diſtingueretur, ſi quidem oppoſitionem adhuc diſparatam cum ipſo retineret, quæ ſat eſſet in caſu.

Digitized by Google



Digitized by Google

ARGENTEI PECTORIS

Angelicam Naturam repræſentantis

TEXTVALIS EXPOSITIO.

Pectus autem, & Brachia de Argento.

DIVINA Maieſtate aurato in Capite fulgente conſpecta, tantæ quæ correſpondent membra ceruici, pectoriſque fortitudo, Brachiorumque potentia albo in metallo ſupremi motoris digito ſculpta ſi aſpiciantur, Phæbeo ſplendori in auro, niue in argento ſuccedente, (Statuæ nempè Pectus, & Brachia de argento) vt illo Caput oſtendat candore propinquos, velle immaculatos, aut Auroram continuò optare Iuſtitiæ Solem in albis iam veſtiti, nunc verò candidum in argentum commutati cernentur ſibi aſſiſtentes. Pro minori Regno argentea membra interpretentur à Vate, nam mihi quidem Angelicis hoc Regnum aſſignare Spiritibus in Thronos, Poteſtates, Virtutes, dominij, imperijque nomina diuiſis, congruum ſummoperè videtur. Regantur Cæli, terrarumque Orbis diuini dextera Artificis. Si enim Apocalypſis Aquila inottenebratis viderit oculis cœleſtes Spiritus iſtos mouere, illumque cuſtodire, manum hos eſſe Omnipotentis, quis denegabit? In Pectore itaque, Brachijſque argenteis Cœleſtes reponimus Subſtantias; ſi enim Brachiorum ope membris omnibus corpori miniſtratur, Empyrei conueniunt hæc membra Aulicis, cum ſint in miniſterium miſſi Spiritus adminiſtratorij. Roboris ſedes Pectus eſſe, qui non ignorauerit, fortitudinemque Dei Michaelem eſſe pro comperto habeat; & Miniſtros eius Creatorem ignem vrentem feciſſe, illoſque examinaſſe, ſicut examinatur argentum, eos in ſimulacri pectore, & argento collocandos, congruum cenſebit. In Brachijs ergo, argentoque Angeli ponuntur; cum enim canat Pſalmiſta, Dextera tua cuſtodi me, dum Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, & in manibus portabunt te; Brachia illis aptamus: Cumque ſint Nuntij, & eloquia, eloquia autem Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum, argentum illos

aſſerere, par fuit. Manum ſuam Deus mittat ad fortia, & Angelus Domini de Caſtris Aſſyriorum centum octuaginta quinque millia in nocte percutiet, inimicorum ſanguine Aurora rubebit. Gaudent candido in metallo Angeli, quamuis mali, manere; hinc Iudæ pro corpore Chriſti à Principibus Sacerdotum triginta ſtatutis argenteis, ſtatim Sathanas in eum intrauit, propriam in argento de mercede iniquitatis agnoſcens ſedem, & habitationem. In argento illos collocamus Spiritus, qui ſuper vndas, argenta liquefacta, ire delectantur, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Non niſi ſimulacri Brachia, Pectus, & Argentum, ſedes debebant eſſe Angelorum; ſimilis namque Filio hominis habebat in dextera ſua ſeptem Stellas, Ioannis ſententia, ſeptem Spiritus Dei, quæ Cynthia pictrice argento colorantur. Luminare minus radio ſolis argenteum factum fuit, vt præeſſet nocti; quod non niſi naturam Angelicam arbitror; ſi enim eramus aliquando tenebræ, data eſt hominibus, vt oſtendat eis viam bonam, per quam ambulent, illuminatrix. Dicatur Mercurius argenti Deus, atque Patronus, idemque ſomniati Iouis nuntius, veraciori tamen nomine Nuntios ſupremi Iouis Angelos dicimus, argentumque eis tanquam Patronis tribuimus. Et ſi Mercurij nomen, argentum, quem vocant viuum, exprimit, ipſi quoque viuent in ſæcula; Simulacri Pectus, argenteaque Brachia Angelis dantur. Pluat igitur in Thæſibus eloquium meum ſicut ros, cum eloquentia in argento demonſtretur; & dexteram tuam Domine ſic notam fac, & eruditos corde in Sapientia, donec enunciem Brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt.

Digitized by Google

INVISIBILIVM AGMINVM

A N G E L O R V M

Dogmatica enarratio .

ANGELORVM exiſtentiam de fide tenendam ex multis Sacræ Scripturæ locis deſumimus, Pſal. enim 103. dicitur, Quj facit Angelos ſuos ſpiritus. Matth. c. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Et cap. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Hanc veritatem negaret Athæiſta, cum non aſſerat Deum eſſe: Sed valdè mirum eſt de Saducæis, qui (vt refertur in Actib. Apoſt. cap. 23.) Angelum negabant, & ſpiritum; & tamen quinque Libros Moyſis recipiebant, in quibus tàm crebra, & manifeſta Angelorum mentio habetur. Quapropter à Deo creatos fuiſſe Angelos, contra Auicennam, qui 9 Metaph. cap. 4. finxit quod vnus Angelus alterum creauerit, affirmat Apoſtolus ad Coloſs. cap. 1. In ipſo condita ſunt vniuerſa, in Cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; Et ideò à Concil. Nic. in Symb. ponitur, viſibilium omnium, & inuiſibilium Creatorem eſſe Deum, propter errorem Manichæorum aſſerentium, Deum eſſe tantum Cæli, & Terræ Creatorem, hoc eſt rerum ſolummodo viſibilium: Contra quos adeſt etiam Concil. Lateran. 4. ſub Innoc. 3. celebratum cum Epiſcopis 400. An. 1215. aſſiſtentibus in ipſo & Hieroſolymitano, & Coſtantinopolitano Patriarchis: Et habetur de Summa Trinit. cap. Firmiter : Quod pariter oſtendit D. Auguſt. lib. 1, de Symb. cap. 1. dicens, ipſe ſcilicet Deus, fecit Cælum & Terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, inuiſibilia, & viſibilia. Inuiſibilia ſunt in Cælis, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Archangeli, Angeli, ſi benè vixerimus, conciues noſtri. Angelus idem eſt ac Nuntius, nomen Officij, non naturæ ex D. Greg. Homil. 34. in Euang. Et Concil. Epheſ. General. celebrato ſub Cœleſt. I. an. 431. per Epiſcop. 200. in Epiſt. Cyrill. ad Reginas. Angelorum numerum infinitum non eſſe probatur per illud Sapient. cap. 11. Deus omnia fecit in numero, pondere &c. certum tamen eſt, maximam eſſe Angelorum multitudinem, ex Daniele cap. 7. Millia millium miniſtrabant

ei ,

Digitized by Google

ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: Hic numerus in três diſtinguitur Hierarchias, quarum quælibet tres ordines continet, nam ſumma habet ſeraphim, Cherubim, & Thronos; In media inueniuntur Dominationes, virtutes, & Poteſtates; In infima verò continentur Principatus, Archangeli, & Angeli. Quæ nomina ex Sacra deſumuntur Scriptura, vt ait Concil. Rom. 2. ſub Zacchar. Pont. celebratum an. 745. quod fuit Concil. Prouinciale. Seraphim enim habetur Iſaiæ cap. 6. Seraphim ſtabant ſuper illud &c. & volauit ad me vnus de Seraphim. Cherubim Pſal. 79. Qui ſedes ſuper Cherubim. Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates ad Coloſs. cap 1. Virtutes ad Epheſ. cap. 1. Archangeli in Canonica Iudæ. Angeli paſſim &c. De Angelorum cognitione eſt Dogma fidei infallibile, ipſos cognoſcere ſingularia etiam materialia, & conſtat ex multis Sacræ Scripturæ locis, Eccleſ. cap. 5. Tob. cap. 3. Iudith. 13. Daniel. 3. Luc. 1. Matth. 1. Et Apocalypſis ſæpiſſimè. Imo hominibus loqui poteſt Angelus tam in ſe, quam in corpore, quod vtique aſſumere valet, vt colligitur Gen. cap. 18. de tribus Angelis apparentibus Abrahæ; Et ex lib. Tobiæ de Raphaele, & alibi. Poteſt etiam vnus Angelus intellectualiter alteri Angelo loqui; Sic enim teſtatur Ioannes Apocal. cap. 7. Vidi alterum Angelum &c. & clamauit quatuor Angelis: Et Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum. Iſaias quoque cap. 6. Clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus; &c. & oſtendit Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 10. Nec non ipſi Deo Angelus loquitur, & patet Zacch. cap. 1. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem, & Vrbium Iuda, quibus iratus es? Horum autem ſubſtantiam non eſſe Diuinam definitum eſt in Concil. Bracar. 1. cap. 5. ſub Io. Pap. III. An verò Angeli corporeæ ſubſtantiæ, vel incorporeæ cenſendæ ſint, materiales, vel immateriales, eſto pro vtraque parte Concil. Sanctorumque Patrum Doctrinæ afferantur, præcipuæ tamen & validiores ad ſecundum flectentes, quod videlicet omni corporeitate experti ſint, licet nihilominus in hac materia D. Bernar. modeſtiam amplecti, qui Hom. 5. ſuper Cant.Cant. huiuſmodi Controuerſiam indiſcuſſam relinquens, talia fuit affatus. Cæterum, vtrum ipſis ſpiritibus naturalia corpora ſint, ſicut hominibus ſua; an verò ipſi ſpiritus corpora cum opus eſt ſumant; ruſumque expleto opere ponant, in eandem de qua ſunt materiam diſſoluenda, nolo vt à me requiratis. Videntur PP. de huiuſmodi diuerſa ſenſiſſe; nec mihi perſpicuum eſt vndè alterutrum doceam, & neſcire me fateor, ſed & noſtris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.

Digitized by Google

EIVSDEM NATVRÆ ANGELICÆ.

Scholaſtica Controuerſa diſſertio.

NATVRAM intellectualem Angelicam Deo inferiorem, ſuperiorem homine optimè definit D. Damaſc. lib.2.de fide cap.3. dicendo, Angelus eſt ſubſtantia creata, intellectualis, & incorporea, ſemper mobilis, arbitrio libera, Deo miniſtrans, gratia, non natura immortalitatem ſuſcipiens. Ex qua colligendum de facto ſpecificè non plurificari, ſed vnicam dumtaxat Angelorum infimam ſpeciem extare, proinde idemmet Damaſc. Lib. de Decr. & Part. cap. 7. ſic habet; Incorpoream eſſentiam appello Animam, Angelum, Dæmonem: vnumquodque enim iſtorum ſpecies eſt infima. Et cap. 1. dixerat; vniuſcuiuſque ſpeciei eſt vna natura, & omnium Angelorum eſt vna natura, & omnium hominum. Idem docent D. Baſil. Lib. 3. cont. Eunom. in princip. Greg. Niſs. de Opificio hominis cap.17. D. Anſel. lib.2. cur Deus homo. Cap.25. & D. Athanaſ. Lib. Quæſt. apud Antioch. Quæſt. 4. qui interrogatione habita de Angelis, an videlicet eiuſdem naturæ extarent. Reſpondet; Vna, & eadem eſt eſſentia veluti vna eſt tantum eſſentia hominum: nec ex diuerſis officijs, & muneribus diuerſarum Herarchiarum, & ordinum arguitur diuerſitas ſpecifica; nam ſicut in humanis videmus homines habentes diuerſitatem officiorum, & graduum in Regnis eſſe eiuſdem ſpeciei, ita à pari de Angelis diſerere debemus. Cum hoc tamen ſpecificam Angelorum pluralitatem non repugnare aſſerendum videtur: Sicut enim ſub generico gradu communi ſentiendi, ſpecifica diuerſitas non repugnare conſpicitur, ita nec ſub communi gradu intellectuali. Pariter nec eorundem Angelorum numericam pluralitatem ſub eadem infima ſpecie implicare; ſiquidem quidditas Angeli quantum eſt ex ſe communicabilis pluribus non minus ac quidditas alia quæcumque cernitur, namque ex perfectione incommunicabilitas ei non conuenit, cum Eſſentia Diuina perfectiſſima communicetur; nec ex imperfectione, quia communicari generabilibus competit, & corruptibilibus. Cæterum communicabilitas non eſt Angeli quidditati in identitate numerali tribuenda, non

Digitized by Google

enim eſt infinita, conſequenter, cum numerali diſtinctione, quam etiam de facto dari probat Subtilis Doctor ex D. Auguſt. in Ench. cap. 28. vbi habet, quòd ideò reparauit Deus naturam humanam, quia tota per peccatum ruerat, non reparauit autem Angelicam, quia tota non ruit. De vera autem, propriaque Angeli exiſtentia in loco, non eſt locus ambigendi: ad locum enim habet realem, & actualem præſentiam, ac ſpatio & ambitu ipſius loci eius Subſtantia terminatur; eſt illi namque ratio fundamentalis exiſtendi in loco, non operatio, ſiue immanens, quæ non minus abſtrahit à loco, quam Angeli eſſentia, ſiue tranſiens, quæ non in Angelo ſed in paſſo ſubiectiuè recipitur; & multo minùs applicatio Angelicæ virtutis ad locum; namque ſi dicatur hæc actus primus Angeli, ab eius ſubſtantia non differt: ſi verò actus ſecundus, iam redditur ad idem de operationibus immanente, ac tranſeunte. Non valet tamen Angelus ſua ſpectata naturali potentia ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis, ſed ſolum inadæquatis, quamuis de potentia Dei abſoluta, ſecus ſit diſcurrendum tàm de locis adæquatis, quàm inadæquatis, tàm continuis, quàm diſcontinuis, ſicut accidit de Chriſti corpore in Euchariſtia pluribus in locis exiſtente, quod Angelo paritèr denegari non audemus, cum nulla ſubſiſtens appareat repugnantia; ſicuti nec motus verè, & propriè de loco ad locum, vt liquidò conſtat in Angelo ad Mariam miſſo, ac in illo qui Ioſeph in ſomnis apparuit, quique ad Tobiæ cuſtodiam aſſiſtebat, verum iſte motus, continuus valet eſſe, & ſucceſſiuus, ſiquidem ab vno Vbi valet Angelus ad aliud tranſire nullum relinquendo medium Vbi impertranſitum; poteſt eſſe paritèr indiuiſibilis, ac inſtantaneus, prout complectitur tantummodo introductionem termini ad quem; neutro tamen modo ſua poteſt naturali virtute moueri de extremo ad extremum, abſq; eo quod medium pertranſeat ordine durationis, vel naturæ. Intellectum poſſidet Angelus agentem cum poſſibili; intellectionem quoque intuitiuam, ac abſtractiuam: & quamuis ab initio ſuæ creationis à Deo ſibi inditæ fuerint rerum ſpecies ſaltem vniuerſalium veluti hominis, plantæ, lapidis, & huiuſmodi; quia tamen per eas ſua concipere ſingularia, eorumque exiſtentias non valet, ideò intellectus agentis virtute ſpecies producere poteſt, quibus ſua ſingularia, & alia, quæ ab ipſo immediatè ſine ſpeciebus intelligi nequeunt, intelligere valeat. Imo non tantum à ſingularibus, verum, & à ſpecificis quidditatibus ſpecies deſumere poteſt, dummodo à Deo infuſas non poſſideret eas: hoc enim poſito non eſt Angelo propria deneganda operatio ſuæ naturæ conueniens, aliter vilior eſſet quacumque natura creata Philoſ. affirmante Lib. 2. de Cœlo, & Damaſc. cap. 64. quod natura non eſt ſine propria operatione ſpecifica, & quælibet ex ſuis principijs intrinſecis in propriam poteſt operationem.

Digitized by Google



Digitized by Google

VENTRIS EX ÆRE

Diuinam Incarnationem Explicantis

TEXTVALIS EXPOSITIO.

Porrò Venter, & Femora ex ære.

ANGELICAM ſplendente Argento conſpexit oculus naturam, diuinæ adſtantem Maieſtati, infirmiſque hominum viribus ſubſtentaculum, atque confortationem. Reſonante nunc ære, non pugnæ, ſed fœderis in Signum, eius, qui eſt Princeps pacis admirabimur Incarnationem. Non niſi reſonante in metallo congruum erat hanc ponere, cum eſſet illius Verbi, quod ſemel clamans, audito velut æris tinnitu, non ſolum hominum animi, verum Cœli, Templa, totuſque Terrarum Orbis commota ſunt. Ventri, Femoribuſque æs aſſignabatur in Statua, vt oſtenderetur, Virgineo Deiparæ vtero, qui nominatur aceruus tritici vallatus lilijs, conuenire Incarnationem; Chriſtus namque frumentum Electorum dictus, in aceruo tritici, floſque campi nominatus, inter liliorum vallationem reperiendus erat; paſci enim inter lilia congaudet. Aenea explicentur à Daniele membra pro Regno illo, quod per vniuerſam Terram ſuum dilatabit Imperium; quod Principi Regum Terræ Chriſto debetur, cuius factus eſt Principatus ſuper humeros eius; æneoque illius vix audito ſono, conturbatæ ſunt Gentes, & inclinata ſunt Regna, deditque vocem ſuam, & mota eſt terra; quod ſi bellicum hoc dicitur metallum, Rex exercituum Saluator quoque nominatur. Templi, Altariſque Diuini baſes facere æneas Deus Moyſi indicit: ſi enim Sanctorum (qui Eccleſiæ columnæ nuncupantur) baſis, & fundamentum eſt Chriſtus, voluit illum æneum Deus demonſtrare. Anguis proprio appellatur à Propheta nomine qui Diabolicum occidit Serpentem, & in terram in quam ceciderat venenum, antidotum ſparſit; Anguis (inquam) eſt, at ille Moyſis æneus, in quem reſpicientes Dæmonis à morſu liberantur oppreſſi. Hoc nos admonet Euangelica Aquila dicens, Ità oportet exaltari Filium hominis, ſicut Moyſes exalta-

Digitized by Google

uit Serpentem in deſerto , vt omnis qui aſpexerit , viuat . Aeneis ergo in Simulacri membris hæc ponitur Incarnatio, cum illud varijs ex metallis vnum efficiatur , & iſta diuerſis ex naturis Chriſtum Deum, hominemque conſtituat : In ære illius , qui contriuit portas æreas , ſcribuntur victoriæ : In ære , qui arcus , & ſcutum eſt contrà Diabolum pugnantium , de quibus Dauid canit , Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea ; Neque bellico in metallo malè deſignari Regem pacificum, dicatur ; Arcus enim iræ belli furoris ſignum eſt ; poſitus tamen in nubibus , pacem indicat , fœdus , vnionem ; quam Iridem , ſed terreſtrem æs eſſe , quis denegabit ? illa namque tot ex coloribus , quot iſtud ex metallis formatur . Aeternæ Prolis temporanea Incarnatio in ære perennabitur , totumque per terrarum orbem Thæſes audientur , cum ſint Verbi , & ære pulſentur ; quas ſtatim exponimus , audio enim Iſaiam dicentem , Canite tuba in Syon , Cantate Domino , quoniam magnificè fecit , annunciate hæc in Vniuerſa terra .

Digitized by Google

ARCANI INEFFABILIS
DIVINÆ INCARNATIONIS
Dogmatica enarratio.

INCARNATIONEM Diuini Verbi factam fuiſſe, contra Paganos, Mahumetanos, & Iudæos teſtatur Ioannes cap. 1. dicens. Verbum Caro Factum eſt: à quo edocta Sancta, & Catholica Eccleſia, canit in Symbolo Concilij Nicæni, & Incarnatus eſt; Diuuſque Athan. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem Domini Noſtri Ieſu Chriſti Fideliter credat. Hinc allucinatur Cherintus, qui Chriſtum purum eſſe hominem affirmabat, & Neſtorius, qui Chriſtum in duas diuidebat Perſonas, & conſequenter in duos Filios; ſolum accidentaliter, ſeu per affectum quendam amoris, & charitatis ſpecialis inter ſe vnitos, quorum alter ſcilicet Ieſus, eſſet verus Deus, & Filius naturalis illius; & alter, nempe Chriſtus eſſet purus homo, ſic quod nihil Deitatis eſſet in illo; Vnde Beatam Virginem non Theotocon, ſed Anthropotocon dicebat. Quem errorem damnarunt Conc. Epheſ. Gen. 3. ſub Cæleſt. I. & Damaſus Pont. in profeſs. ad Paulin. ſexto loco &c. Item Concil. Calced. Gen. 4. ſub Leon. I. Et Concil Lateran. ſub Martin. I. quod fuit Nationale Epiſcop. 105. Quapropter ad quam plures Hæreticorum errores eneruandos circa Filij Dei Incarnationem ſic loquitur Auguſt. de Eccl. Dogmat. cap. 2. Natus eſt Filius Dei ex homine, & non per hominem, ideſt non ex viri coitu, ſicut Ebion dicit, ſed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de Cœlo ſecum afferens, ſicut Marcion, Origenes, & Eutiches affirmant, neque in phantaſia, ideſt abſque carne, ſicut Valentinus aſſerit, ideſt neque putatiuè imaginatum, ſed corpus verum; non tantum carnem ex carne ſicut Marcianus, ſed verus Deus ex Diuinitate, & verus homo ex carne, vnus Filius in Diuinitate, Verbum Patris, & Deus, in homine anima, & Caro. Anima non abſque ſenſu, & ratione vt Apollinaris; neque caro abſque Anima vt Eunomius, ſed Anima cum ratione ſua, & corpus cum ſenſibus ſuis, per quos ſenſus veros in paſſione, & ante paſſionem ſuæ carnis dolores ſuſtinuit. Neque ſic natus eſt ex Virgine, vt & Diuinitatis initium homo naſcendo acce-

cepe-

ceperit, quaſi antequam naſceretur ex Virgine Deus non fuerit, ſicut Artemon, & Berillus, & Marcellus docuerunt; ſed æternus Deus & homo ex Virgine natus eſt. Quam Doctrinam confirmant Concilia multa, erroreſque damnant, præcipuè Epheſ.1. in Explicat. fid. can. 1. 6. & 13. Chalced. act. 5. in Decret. fid. Conſtantinop.2.act.4.can.4. & Conſtantinop. 3. act.11. Ex qua pariter colligitur tanquam fidei dogma, Beatam Virginem eſſe propriè, verè & realiter Matrem Dei, & hominis; ſic enim clamant Scripturæ, PP. & Conc. contra Neſtorium aſſerentem, Virginem Mariam non eſſe dicendam Theotocon, ideſt Matrem Dei; ſed Chriſtotocon, ideſt Chriſti tantùm puri hominis. Patet namque Luc.1.Spiritus Sanctus ſuperueniet in te,& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi,ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.Et Matth.1.Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph,inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.Damaſc.pariter hanc veritatem confirmat Lib.3.de fid.cap.12. quæ determinata eſt in Concil. Epheſ. ſub Cœleſt. I.& Theodoſ. Iuniore an.431.per Epiſc.200.& fuit General.3. cui adfuit B.Cyrill.in cuius 1.canone definita eſt, & poſtea in Con.Chalced. Gen. 4.ſub Leon.I. an.451.per Epiſc.630.In 6.Synodo act.4.& 11. Et in 7. Synod.act. 4. & 7. & habetur in Concil. Lateran.1. Sub Martin.I. can.3. Ex his neceſſariò ſequitur hæc Catholica Propoſitio, Chriſtum ex ſubſtantia Virginis fuiſſe conceptum; ita enim oſtendit Apoſtolus ad Galat.4. Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, ideſt ex ſubſtantia eius. Et ad Rom.1.Qui factus eſt ei ex Semine Dauid ſecundum carnem.Et Luc.1.Quod enim ex te naſcetur Sanctum &c. Quod etiam decernunt præfata Concilia, & SS. PP. præcipuè D. Athan. Serm. contra Hæreſes, qui acritèr inuehit contra Valentinum docentem, Chriſtum nihil corporis de Virgine ſumpſiſſe, ſed per eam tanquam per canalem, ſeu fiſtulam tranſijſſe. Non tamen ex viri ſemine concepit Virgo, vt impiè aſſeruerunt Ebion, & Cherintus, ſed ſola Spiritus S. Virtute,vt habetur Matth. 1. Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto; & infrà; Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Et Luc.1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te,& Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Et definitur in omnibus Concilijs quæ de Incarnatione diſſerunt, vt in Epheſ. Chalced. 5. & 6. Synodis, Concil. Toletanis 1.6.11. &c. atque adeò dicendum erit B. Mariam ante partum, in partu, & poſt partum Virginem permanſiſſe, vt prædixit Iſaias cap.7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Et ita tenendum de fide iuxta Decret. Concil.Epheſ. in 5. Sinodo can.6. & in 6. Syn.act.11.contra errores Auxentij, Iouiniani, Eluidij, & Photini, qui ab antiquis PP. Ambroſio, Hieronymo, Auguſt. Damaſc. & Idelphonſo traditi fuerunt in manibus Sathanæ, & traduntur ab Eccleſia Catholica ex modernis Martinus Bucerus Caluinianus, mox Lutheranus, deniq; Iudæus,qui ſcripſit Mariam lege communi peperiſſe;cui ſubſcripſit Petrus Vermilius fidei Catholicæ,& Profeſſionis Monaſticæ deſertor, & alij, qui ex obliuionis tenebris errores veterum ad lucem reuocarunt.Eſt articulus inconcuſſus Symb. Nic. Natus ex M.V.& confirmat Ezech. c.44.dicens; Porta hæc clauſa erit. Vbi Hier. Epiſt.ad Pamach. Hæc eſt Porta orientalis ſemper clauſa & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens Sancta Sanctorum. Et in c.44.Ezechiel. inquit; Pulchrè quidem Portam clauſam,per quam ſolus Dominus ingreditur, Mariam Virginem intelligunt; quæ ante partum, & in partu, & poſt partum Virgo permanſit.

Digitized by Google

EIVSDEM DIVINÆ INCARNATIONIS.

Scholaſtica controuerſa diſſertio.

INCARNATIONIS Sacramento ex fide ſuppoſito eiuſdem poſſibilitatem, ac exiſtentiam nullus valet intellectus creatus, vel creabilis naturali ratione, clarè demonſtrare. D. enim Paul. ad Epheſ. cap. 3. hoc myſterium appellat inueſtigabiles Chriſti diuitias, & Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo, & ad Coloſs. 1. idem vocat myſterium abſconditum à ſæculis, & generationibus; ſiquidem prius Iſaias cap. 45. dixerat Deum abſconditum (non niſi iuxta D. Hieronymi doctrinam) propter aſſumptionis Sacramentum, cuius formalis ratio in vnionis relatione conſiſtit naturæ humanæ ad Verbum; namque abſoluto quocumque cognito in altero extremorum, huius aſſumptionis perfecta ratio minimè habetur, ſic enim dumtaxat cognoſcitur illud quod eſt à ſe, hæc autem aſſumptio non eſt ad ſe, cum ſit vnio duorum, naturæ ſcilicet aſſumptæ, & Verbi aſſumentis, quorum vnum ad aliud manifeſtè relationem præſefert. Hinc natura humana in Chriſto propriam retinere inconfuſam exiſtentiam fatendum cenſemus, quam eſto ſimul, & immediatè plures perſonas tam creatas, quam increatas aſſumere implicet; namque ex hoc quod poſſet eſſe in pluribus, cum ſibi non repugnaret eſſe, & in infinitis, formaliter infinita concluderetur, poteſt tamen immediatè ipſi Diuinæ Eſſentiæ vniri ſic, quod non ratione alicuius ſubſiſtentiæ perſonalis, ſed ratione eſſentialis, & abſolutæ ſubſiſtentiæ eius naturæ humanæ dependentia terminaretur; ſicuti pariter plures quoque naturas vna, & eadem perſona aſſumere valet, ex eo præſertim, quod non videtur aſſignabilis repugnantia ſiue ex parte naturarum aſſumendarum, ſiue ex parte perſonæ aſſumentis, quæ cum ſit ſimpliciter independens, quodcumque dependens, quod eſt in potentia obedientiali ad illam terminare valet; qua propter colligendum quod perſona Verbi quamcumque naturam ſubſtantialem, ſiue partialem, ſiue totalem, etiam irrationalem, & inſenſibilem, aſſumere potuiſſet, imò de facto hoc in triduo contigiſſe videtur, etenim Diuina Verbi perſona hypoſtaticè vnita remanſit,

Digitized by Google



Digitized by Google

TIBIARVM EX FERRO

Sacramenta Significantium

TEXTVALIS EXPOSITIO.

Tibiæ autem Ferreæ; Pedum quædam pars ferrea.

RESONANTE ære in Iride bellorum, minarumque ſedatrice, qui pacem venit mittere in terris Chriſtus, naturam humanam Deo reconcilians, Diuinamque iram in ſanguinis Erythræo non ſolum mergens, verum etiam quinque ſanguineis oribus innocens Abel, non vltionem, ſed pietatem clamans, & obtinens à Cælo, inaudito modo per vulnera effundendo cruorem, reſplenduit pacificator. Ferro nunc obſtrepente, eius in duritie omnipotentis robur cernitur, & qui quamuis inſans inter faſcias veluti mancipium conſtrictus Rex pacificus magnificatus eſt, in terribilem, fortem Deum exercituum, etſi immutabilis, abſconditis commutatur Sacramentis. Simulacri ferreis in tibijs, & pedibus ſeptem reponuntur Sacramenta; ſi enim à Propheta illi Regno, quod omnia Imperia comminuet, & conteret, ferrea tribuuntur membra, Sacramentis igitur hæc debebantur, quibus Iudith Eccleſia comminuit peccantis Holofernis ceruicem, & conterit Caput Diaboli. Certum de hoc optatur ne experimentum? quid Ferro fortius, quid ſolidius? quid Sacramentis robuſtius, quid potentius? Per hæc fortiores Chriſti fideles mortui peccato reſurgunt Phenices; diuerſimodè tamen, cum illæ flammis, hi fonte Baptiſmatis renaſcantur: Per hæc noſtrum confirmatur robur ad abſcindenda illa capita, à Cœlo ad inferos ruendo non confracta: Per hæc quæcunque ligata in terris erunt, & in Cœlis; & quæcunque hic ſoluta, & ibi ſoluentur: Per hæc deficientibus viribus in huius Mundi deſerto Iſraelitæ cœleſtibus confortantur cibarijs: Per hæc cum Diabolo luctantes, vt hoſtes proſternantur, oleo vnguntur Luctatores: Per hæc Sacri redditi Sampſones, capillis licet detonſi, vim non amittunt, ſed acquirunt, Templumque non demoliuntur, ſed extruunt: Per hæc denique contra tres hoſtes pugnaturi, inaudita potentia, vt robur addatur, duo efficiuntur in corpore vno. Monſtruoſa ſeptem capitibus

Hydra peccati peſtiſera circumquaque diffundat venena, mortiferaque lue quemcunque inficiat viatorem, iſto tamen Sacramentorum Ferro, igneque, quem Deus venit mittere in terris, Tartareum monſtrum Chriſtiani Alcides vincunt, proſternunt, occidunt. Gratuletur Dauid cantico illo, virga tua; & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt; cum ſuperioribus in Pſal. cantauerit; Reges eos in virga ferrea, qua Deus exercituum ſuos Sacramentali modo milites ordinat, atque gubernat. Hanc virgam ferream Sacramentorum Moſaica prodigioſiorem fateamur; ſi enim illa emanare fecit ex Petra vndas ad Iudaicam ſitim extinguendam, hæc è latere Chriſti, qui erat Petra (Petra autem erat Chriſtus) talem aquam, haurire nos facit, vt ſi quis ex illa biberit, non ſitiat in æternum. Per illam pluit de Cœlo Angelorum panis, per hanc ad refocillandas animas prædeſtinatas ſub panis operimento Domini corpus deſcendit. Abominabile peccatum ſi deſtruunt Sacramenta, in Ferro ſunt reponenda: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, clamat Enſifer Paulus; & qui non habet gladium, emat, addit Summa Sapientia, cum tres aduerſus hoſtes ſit nobis colluctatio. Homo per peccatum comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; At ſi Angelus Dei Sacramentorum ferro obuiam ei fuerit, illum, cui non erat intellectus, Aſinum Balaam, viderit diuina imperia alloquentem. Quid igitur mirum? Si Sacramentorum Ferro tantam dederit Chriſtus virtutem, dicendo, dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. In Ferro ergo reponuntur Sacramenta; nam ſi Eſaù benedicendo Iſaach dixerit, ſume arma tua, Pharetram, & Arcum, vt benedicat tibi anima mea; cum omnem benedictionem Sacramenta contineant, Ferrum in ſtatua illis ſtatuere non abs re viſum fuit. Thæſes itaque de Sacramentis in Ferro ponam, & erunt munitæ; nam mihi iam Dominus velut Ezechieli dicere videtur. Loquere, gladius, gladius exacutus eſt, & limatus; exacutus vt cædat victimas, limatus vt ſplendeat.

Digitized by Google

SIGNORVM VISIBILIVM

INVISIBILIS GRATIÆ

Dogmatica enarratio.

OMNIA Sacramenta tàm veteris, quàm nouæ legis fuiſſe à Deo Gratiæ auctore inſtituta, per fidem omnibus Catholicis indubitatum habetur. De veteris legis Sacramentis patet, conſtat enim de Circumciſione, Gen. cap. 17. vbi omnipotens Abrahæ imponit, vt ipſe, totaque eius generatio circumcidatur; ſuper quod Paulus ad Romanos ſcribens dicit, ſignum accepit Circumciſionis ſignaculum Iuſtitiæ fidei. Quidquid poſtea aſſerant Manichæi non à Deo bono, ſed à ſuo malo inſtitutam fuiſſe Circumciſionem; Pelagiani verò putent, totum ritum Circumciſionis fuiſſe quoddam inuentum humanum; quorum primum refellit errorem D. Auguſt. lib. *6.* contra Fauſtum; ſecundum verò lib. *6.* contra Iulianum cap. 3. De reliquis certum præſtent teſtimonium integri Leuitici, Exodique Libri, vbi meridiana luce clarius conſpicitur, omnium, quæ ſiue proprio, ſiue improprio nomine in Lege Moyſis fuerunt dicta Sacramenta, Deum extitiſſe Inſtitutorem. Circumciſionem autem fuiſſe remedium contra Peccatum originale, & ex manifeſtis Scripturis,& ex Decreto Innocen. III. deducitur. Nouæ vero Legis Sacramenta Chriſtum Dominum inſtituiſſe abſque errore, cum Concilia, & Scripturæ hoc aſſerant, negari non poteſt; Principalis tamen huius inſtitutionis cauſa fuit voluntas Diuina,ad quam Chriſtus homo ſuam conformabat humanam. Sed quia Chriſtus Humanitati Diuinitatem coniunxerat, ab ipſo fuiſſe inſtituta tanquam dogma infallibile ſuſtinetur. Colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. *6.* c. 1. vbi inquit. Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non fuiſſe à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, Anathema ſit. Cum quo Scripturæ concordant, Dauid enim in Spiritu talibus verbis prædixit, miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos; hoc eſt miſit Filium ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum: Quod in Sacramentis adimpleuiſſe Chriſtum, compertum habetur in illa Parabola Luc. cap. 10. qua oſtenditur, neque Sacerdotem, neque Leuitam, ſed Samaritanum Chriſtum alligaſſe vulnera, vinum & oleum infudiſſe, ſcilicet Sacramentorum fuiſſe Inſtitutorem: Quod pariter confirmat Ioannes Epiſt. 1. cap.

1. *di-*

Digitized by Google

1. dicendo, Sanguis Ieſu Christi emundat nos ab omni peccato; & Paulus ad Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem in Sanguine ſuo. Cur igitur Hæretici Maſſalliani latrant, vt refert D. Damaſcenus, Armenique, & noui quidam Cathari, vt ſcribit Alphonſus à Caſtro lib. aduerſus hæreſes cap. 13, quibus aſſociatur Martinus Lutherus; cur inquam latrant docentes, Sacramentis non iuſtificari homines, ſed ſolis præcibus, dum hæc conferre gratiam ſit dogma infallibile? Deducitur namque de ſingulis ex ſacris codicibus: De Baptiſmo ex Marci cap. vlt. Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſaluus erit: De Euchariſtia Io. 6. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: De Confirmatione ex Actibus Apoſtolorum; Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum: De Ordine ex 1. ad Timoth. cap. 4. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetam cum Impoſitione manuum præsbyteri. Nonnè pariter de Pœnitentia apertè ex Io. cap. 20. deducitur (inquit enim) Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis? Nonnè de Extrema vnctione? Siquidem Iacobus aſſerit; Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Eccleſiæ &c. etſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Nonnè Paulus ad Epheſ. ſcribens Matrimonium eiuſdem generis Sacramentum cum cæteris affirmat? Quid plura? Sacramenta omnia conferunt gratiam, vt innuunt Concil. Florent. ſub Eugen. IV. ſuper vnione Armenorum: Trident. ſeſſ. 6. can. 6. Symb. Nicæn. & Conſtantinop. illis Verbis, Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem Peccatorum; Quibus adhærent Concil. Meliuetan. cap. 2. Arauxican. 2. cap. 25. Et denique in Senonen. error Lutheri Anathemate damnatur. Hæretici noſtri temporis blaſphemare deſiſtant, duo tantum eſſe nouæ legis Sacramenta, ſcilicet Baptiſmum, & Euchariſtiam; nam præterquam quod Scripturæ authoritatibus ſuperius allatis ſeptem fateri coguntur, extat vlterius talis definitio in Concil. Florent. Decreto Eugenij; Idemque affirmat Trident. ſeſſ. 7. cap. 1. & Ioan. ſeptem Spiritus Dei commemorat, pro ſeptem Sacramentis intelligendos; & ſeptem ſcripſit Eccleſijs, quamuis vna tantum ſit Eccleſia, cum omnes vnum corpus ſimus in Chriſto.

Digitized by Google

EORVMDEM VISIBILIVM SIGNORVM

Scholaſtica Controuerſa diſſertio.

PRO ſalute hominis Viatoris acquirenda, quam peccando perdiderat, complacuit ſibi Diuina Bonitas ſalutifera condere remedia, quæ Sacramenta non abſque ratione ſunt dicta, prout ſigna ſenſibilia Diuinæ gratiæ Animam ſanctificantis præſeferunt. Sacramenti verò quatuor à Veteribns Doctoribus, Sanctiſque Patribus præcipuè diffinitiones traduntur, quarum Primam, videlicet Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, affert D. Auguſtinus 10. de Ciu. Dei cap. 5. à quò non diſentiunt Hugo Lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 1. & D. Bernard. Serm. de Cœna Domini: Secundam profert D. Greg. dicens, Sacramentum eſt per quod ſub tegumento rerum viſibilium Diuina Virtus ſecretius ſalutem operatur: Tertiam tradit Hugo Lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 2. dicendo, Sacramentum eſt corporale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens inuiſibilem, & ſpiritualem gratiam: Quartam tandem Magiſter ſententiarum proponit in 4. Diſt. 1. habens, Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens. His autem veluti æquiualens, & ex eiſdem illata, addi poteſt, quæ à ſubtili Doctore traditur, nempe, Sacramentum eſt ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum ex Diuina inſtitutione efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Ex quibus licet colligere, congruum fuiſſe ſub ſignis ſenſibilibus Sacramentum inſtitutum eſſe, ſiquidem noſtrę cognitionis principium ortum ducit à ſenſu; quarè cum Diuinæ ſit Prouidentiæ vnicuiq; prouidere iuxta ſuæ conditionis modum, congruum, & comodum fuit, effectum inuiſibilem à Deo cauſandum per aliquod ſenſibile ſignum manifeſtari, vt homo, qui ad inuiſibilium, & intelligibilium cognitionem, niſi per ea, quæ ſenſu percipiuntur peruenire nequit, inuiſibilem illum effectum, & certius cognoſceret, & in tali ſigno effectum ardenter quæreret. Vnde D. Chryſoſtomus hom. 33. in Matth. ſi tu (inquit) Incorporeus eſſes, nuda ipſa, & bona incorporea

porea

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

PEDVM PARTIS FICTILIS

Culparum ſordes exprimentis

TEXTVALIS EXPOSITIO.

Pedum quædam pars fictilis.

SACRAMENTALIVM ſuſſurro armorum, ferreorumque ſimulacri membrorum ſtrepitu cum Diabolicis poteſtatibus audita fuit hominum pugna , qui terreni Michaeles de nitidiſſimo puræ animæ Cœlo Luciferum deijcientes, vel robuſti Sampſones aduerſarium tanquam Leonem querentem quem deuoret , interficientes, Angelum terreſtris ad cuſtodiam Paradiſi gladio poſitum , ne amplius in eum calidus ſerpens ingredi permittat, ſe ſe oſtenderunt . Vaſer tamen hic Anguis , velut Hydra peccati radix , in ſeptem capita diuiſus, vt eius peccaminoſæ indagentur viæ , quæratur : Quod ſi mundi ab indignato Opifice, vt ſuprà pectus ſuum ambularet , terramque comederet , fuerit damnatus , Mulieriſque calcaneo inſidiari fuerit illi permiſſum , terreis in ſimulacri pedibus reperietur. O vtinam hominibus mente per peccatum cœcis luto Chriſtus oculos tangendo viſum daret, vt huius Statuæ maculatam aſpicerent terram , crimenque, quod in Empyreo traxit natalia, in terra eradicatum, illique ita conglutinatum, vt illius in fructu productum in homines ſparſerit per cunctas ætates venenum ! Septem profectò in Sacramentis lucidiſſimos Gratiæ Cœlum habet Planetas; alios tamen Terra Peccati contrarios oſtendit, & quò illi nitidiores, & benefici, eò iſti tetriores , & malè ominoſi. Omnes Terra ſunt, omnes puluis : Conſpiciatur Superbia in Cœlo iam fumans, igni nunc addicta æterno, ſemperque viuens in cinerem redacta , cupienſque ſuper Aſtra ſuum figere thronum , non inter Sydera , ſed inter vmbras Terræ centro damnata. Cernatur Auaritia; Aurum ipſa poſſidens, Reginam ſe exiſtimat, neque clauſa inter æraria, aurataque inter vincula ligata, agnoſcens ſe eſſe mancipium , quod hæc iudicat Solem, cum ſplendeat, aurum , non niſi terra eſt, & in puluerem redigit poſſeſſores; Teſtibus Militibus Machabæis, qui habentes

Digitized by Google

de denarijs Idolorum ſub tunicis,corruerunt;aut illo Diuite,qui huius auri pondere grauatus , in ima terræ præcipitauit . Quid quæſo Luxuria ? Terra eſt ; cumque videatur ignis , cinis & puluis non niſi apparet , per quam profectò in cinerem vertuntur Sodomorum Ciuitates . Fateatur ipſa quid ſit Ira ; ſi conterit Deus illius Sectatores , & in puluerem redigit , itâ vt non inueniatur amplius memoria eorum , Terram hanc eſſe quis negabit? Cumque per Pomum , quod primus comedit Parens damnatus fuerit,vt reuertatur in terram , de qua ſumptus fuit , Gulæ vitium conuenire Terræ nulli dubium fuerit . Non ne cœnum eſt Inuidia , non ne Terra ? ipſa cum Eſaü, Iacob datam benedictionem , ægrè ferens ab Iſaac petit , obtinetque terrenam . Neque aliena ab hac eſt Accedia ; humo enim adeò fixos tenet homines , vt neque oculos poſſint ad Cœlos erigere ; Hinc Paterfamilias mittit otioſos in vineam ſuam , vbi effoditur Terra.Fortuitò à Creatore ex luto creatus non fuit homo; noſtram enim ad peccatum pronam eſſe naturam,intrinſecum nobis dando lutum , demonſtrauit . Crudele ferrum mortis omnia in puluerem ſternat corpora ; ſi enim mortuus peccato,mortuus eſt ſemel, Terra illi aſſignanda erat.Terra hæc noſtra eſt iniquitatis habitaculum ; hinc clamat Apocalypſis Aquila, Terram nouam expectamus , in qua habitat Iuſtitia . Nonnè Summus Legiſer Adulteræ mulieris ſententiam ſcribebat in Terra peccati ſede , vt verum oſtenderet illud Salomonis , quod non eſt homo iuſtus in Terra, & non peccet ? Terreis ergo in plantis tractatus de peccatis ſiſtitur ; cum Iſaias doceat,propter multitudinem iniquitatis tuæ pollutæ ſunt plantæ tuæ ; neque Canticum Dauid ab hoc diſſonet , Iniquitas calcanei mei circumdabit me ; & alio in loco , non veniat mihi pes ſuperbiæ . Ex quo clarè deducitur, hominum plantas peccatis eſſe aſſignandas . Quid igitur mirum , ſi hac in puluere Thæſes de peccatis ſcribuntur ? nunquid enim confitebitur tibi puluis , aut annunciabit veritatem tuam ? Ego inſtruam eos locum , quo gradiri debent , & oſtendam eis viam bonam , per quam ambulent ; Deuſque conteret Sathanas ſub pedibus veſtris .

Digitized by Google

ANIMARVM DEFECTVS PECCAMINOSI

Dogmatica enarratio.

PECCATVM prima ſui diuiſione in Originale , & Actuale tanquam Biceps monſtrum partitur: Originale tamen non dari primus omnium Pelagius iuxta Auguſt. Lib.de Hæreſib. Hær. 88. negauit , quem poſteà ſecuti ſunt Armeni , Albanenſes , & alij , vt liquet apud Bellarmin. Lib. 4. de ſtatu Pec. c.6. ex pluribus Scripturæ locis , Concilijſque hunc confutantem errorem ; Quorum vnum,vel alterum hic ponimus , vel illud ſcilicet Apoſtoli ; In quo omnes peccauerunt ; vel aliud , Naſcimur omnes Filij iræ . Quid autem hoc ſit Peccatum aſſignantes Hæretici inter ſe diſcrepant ; Matthias Illyricus in Libello de Peccato Origin. aſſerit, eſſe quandam ſubſtantiam viuentem arte Diaboli factam, & hanc ſubſtantiam eſſe Animam rationalem , quæ per Peccatum Originale tranſubſtantialiter eſt corrupta , & ex imagine Dei in Diaboli Imaginem transformatur . Quid nequius? Caluinus , & Lutherus fomitem , & concupiſcentiam in appetitu ſenſitiuo exiſtentem , eſſe Peccatum Originale tradebant; Talem autem non eſſe Peccatum reijcitur per Concil. Trid. ſeſſ.1. per Scripturas ; à Baptiſmo namque ſecundum Ioannem in 1. Epiſt. c. 1. tollitur quidquid habet rationem Peccati ; Sanguis enim Ieſu Chriſti emundat nos ab omni Peccato : Quam Hæreſim diſertius impugnat Valentia Diſp. 3. p. 2. quæſt. 12. puncto 1. Peſſima huius criminis cauſa proprios habet effectus , quamuis Pelagiani dicant , nullum malum intuliſſe homini ; Contra quos extat Trident. ſeſſ.5. dicens , totum hominem ſecundum corpus , & animam, per Adami Præuaricationem in deterius eſſe mutatum,quod explicatur illa Parabola Luc. 10. de eo qui incidit in latrones. Eſſe verò à peccato mortem,habetur ex D. Paulo ad Rom.c.5. Per vnum hominem Peccatum intrauit in mundum , & per peccatum mors . Et ad eoſdem c.8.Corpus mortuum eſt per Peccatum . Præterea dat certum Teſtimonium D. Auguſt. Lib. 13. de Ciuit. cap.5. Id eſſe de fide definitum in tribus Concil. Mileuit.can. 3. Afric.can. 76. & Araux.can. 2. Per Baptiſmum remitti infallibiliter docemur,& credimus contra

Luthe-

Digitized by Google

EARVMDEM ANIMARVM CVLPABILIS DEFORMITATIS

Scholaſtica controuerſa diſſertio.

AD actualis peccati quidditatem exprimendam nonnullæ à Sanctis Patribus fuerunt traditæ definitiones; D. namque Ambroſ. lib. de Parad. cap. 8. ait, Peccatum eſt cœleſtium tranſgreſſio mandatorum. D. Auguſt. de duabus Anim. cap. 11. Peccatum eſt voluntas conſequendi, vel retinendi, quod iuſtitia vetat, & à quo liberum eſt abſtinere. Et alibi 25. cont. Fauſt. habet, peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Subtilis autem Doctor, peccatum (inquit) eſt carentia rectitudinis debitæ ineſſe actui ſecundo voluntatis; quæ definitio æquè peccato commiſſionis, conuenire fatemur, & omiſſionis, etenim voluntas ſuos tenetur actus regulare, nedum poſitiuos, verùm, & negatiuos; qui ſi non regulentur, profectò debita carent rectitudine. Hinc formalem peccati conſtitutiuam rationem, non in poſitiuo tantùm conſiſtere aſſerimus, alioquin Deum peccati auctorem credere, & inuiti cogeremur, ſiquidem cuiuſcunque entis poſitiui cauſam agnoſcimus ipſum: nec in poſitiuo, & priuatiuo ſimul, ne peccatum ens per accidens fateri teneamur; ſed in priuatiuo dumtaxat ex eo quod inferius quodlibet agens in agendo agenti ſuperiori ſe conformare tenetur; dum autem conformare ſe queit, & non ſe conformat, abſque dubio peccat, ſicque peccare non eſt niſi priuationem habere conformationis: Peccatum ergo pro formali erit dumtaxat priuatio alicuius boni, non quidem naturalis; tunc enim peccata nequaquam ſpecie differrent, vnum ſiquidem bonum eſſet quo peccata priuare dicerentur: nec ſimiliter ſupernaturalis, nempè gratiæ namque ſi primum peccatum priuaret gratia, peccata reliqua non eſſent: nec alicuius alterius virtutis acquiſitæ, etenim cum ipſo permanent peccato; quare carentia ſolùm erit rectitudinis, quæ deberet ineſſe. Et licet peccatorum poſitiua ſpecifica diſtinctio deſumi valeat per conuerſionem ad diuerſa obiecta contraria recto dictamini rationis; Huiuſmodi tamen non eſt peccati pro formali, ſed pro materiali; diſtinctio enim peccati pro formali ſpecifica, quæ eſt priuatiua per diſtin-

ctionem

Lettera Dedicatoria

AL SERENISSIMO PRENCIPE DI VENETIA

NICOLO SAGREDO

DI CONCLVSIONI TEOLOGICHE
Applicate alla Statua di

NABVCCODONOSOR

Da ſoſtenerſi nella Chieſa d'Araceli, ſituata nel Campidoglio
DI ROMA,

In occaſione del Capitolo Generale de PP. Min. Oſs.

DAL P. F. ANTONIO MARIA BIANCHI
DI VENETIA

Publico Metafiſico nell'Vniuerſità di Padoua, e Miniſtro Prouinciale.

R*ISVEGLIATO ancor io da quel ſtrepito dell'intere Prouincie, che ſoſſopra volgeuanſi, per correr ad offerir alla Serenità Voſtra vittime, & Olocauſti ſopra l'altare della fedeltà i ſuoi animi, tenendola più degl'altri ſcolpita nel petto, bramauo venir à tributar quel cuore, che ben ſi vedeua à Lei conuenire ſe ſopra indelebilmente v'era effigiata la ſua Imagine. Haurei tentato l'impreſa, ſe non haueſſi ſaputo, ch'à più riſplendenti raggi del Sole ogni più*

Digitized by Google

ta labile queſta celeſte innocente Bambina; la legai, acciò non cadeſſe, mà dritta reſtaſſe con la ſua Faſcia di Cielo. Di Cielo sì, oue Lei come ſopra il Zodiaco, Sole dall' Adriache onde nato paſſeggiò; e non ſol dodeci furono i di lei ſegni, mà innumerabili non ſi nouerorno. Segno le fu l'Hiſpanica legatione con tanto ſtupore eſſeguita, ch' il ſuo ricco Tago ſi ſtimò impouerito, vedendo ſcorrer da ſuoi labri sì copioſi gli fluuij aurati di ſua Eloquenza. Segno le fu la Germanica, oue non ſi viddero già l'Aquile à Leoni inimiche, e fiere, perche mercè il di lei dire, trouorno in bocca d'vn Leone i faui. Segno le fu la Romana più, e più volte ſoſtenuta, oue il Tebro credè in lei rinouati gl' Hortenſij, ò pur riſuſcitati i Ciceroni. Che marauiglia dunque, che l'Adriaca Regina habbi conferito à meriti più grandi le Dignità più eminenti, quali, è in dubbio, s'habbino à Voſtra Serenità dato più di Gloria, ò Lei più di ſplendore à quei gradi? Che marauiglia ch' alla fine con giubilo commune ſi rimuneraſſe con la Procuratoria Porpora, che ſi conobbe l'Aurora foriera di quel giorno, che hoggi co' raggi del Diadema riſplende? Io fra me ſteſſo vedendola vero Apollo ſcorrer per il Tauro Patauino, e sì copioſe à tutti noi altri Maeſtri iui influir le gratie, prima intelligenza di quel Ciel Letterato, io dico, lo prediceuo vederla com' hor fa, regger co' raggi di ſue Virtù il dominante Leone. A Voſtra Serenità dunque come Letterato Apollo dedico queſta Statua, quale, non è marauiglia, habbi terree le ſue Piante, perche iui ſono le mie ceneri proſtrate; E proprio però del Sole, anco della terra più vile far l'Oro più pretioſo. A lei conueniaſi vna Statua di più miſture formata, hauendo in ſe vna miſtura di tutte le virtù, ch'vna vorrebbe ſuperar l'altra; ma non gl'è permeſſo, perche tutte in ſommo ſi trouano. A lei doueaſi l'Oro, come à Dominante Prencipe, perch' anco i Gioui qui in terra in Pioggie d'Oro ſcenderono. A lei l'Argento, acciò dimoſtraſſe di Sua Eloquenza gl' eloquij. A lei il Bronzo, ò perche come lui di varij metalli ſi forma, così l'Impero di Voſtra Ser. di terreſtre, e Marino Dominio ſi conſtituiſce; ò perche l'impreſtò alla fa-

ma, ac-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA